

horum intellectu purgatorium excogitatum atque succensum, ut esset culina Papistarum. Hoc cum sit manifestum, dissimulari non potest.

Proinde cum ecclesia christiana verbo Dei supra firmam petram fundata, praeter Christum sacerdotem aeternum nullum agnoscat nec habeat Sacerdotem externum ac visibilem, nec ullum applicatorium sacrificium, praeter illud unicum Christi in cruce, nec aliam traditionem corporis et sanguinis Christi vel in coena vel extra coenam, siue cruentam siue incruentam, praeter hanc unam, qua traditus est ad crucem et mortem, et qua tradidit semetipsum pro nobis in odorem suavitatis, abominabilem judi-[155:]cat eam institutionem, quam in coena factam a Christo de oblatione incruenta comminiscuntur. Nouit enim Christum in coena nihil aliud in sui memoriam fieri jussisse, quam quod ante dixerat: „Accipite et comedite, accipite et bibite,“³²⁵ nunquam autem dixisse: „Accipite et offerte“, nec praecepisse hoc donum offerri Deo, cum a Patre hoc donum accepisset hominibus offerendum. Deinde nouit Ecclesia christiana non solis Apostolis dictum esse: „Hoc facite in mei commemorationem,“³²⁶ sed omnibus christianis. Sicut Paulus Corinthiis, imo toti Ecclesiae dicere non veretur. „Mortem Domini annuntiabit, donec veniat.“³²⁷ Praeterea nouit etiam translationem sacerdotii semel factam esse a multis sacerdotibus legis ad unum Sacerdotem et Pontificem Christum, ut Epistola ad Hebraeos testatur: quod autem iterum fieret translatio ab uno Sacerdote et Pontifice Christo ad multos Sacerdotes et Pontifices, qui Christum filium Dei visibiliter offerrent Patri oblatione qualicunque, siue cruenta siue incruenta, non esse patefactum sibi a Deo sancte iurat, nec in Scriptura sacra quicquam tale reperiri posse.

Postremo nouit illius veri sacrificii Christi applicationem non per aliud sacrificium, sed per veram fidem utentis fieri, perque dignum ac legitimum usum, ut Paulus inquit, probet seipsum homo.

[156:] Ideo conuenit ad Coenam et sacramentum ecclesia, sui Pastoris vocem audiens: „Accipite et comedite“ etc.³²⁸ ipsiusque institutionem amplectens, mortem ipsius annuncians, cumque oratione et gratiarum actione dans gloriam Deo fidem suam confirmat et Christi morte se consolatur et munit, contra peccatum, mortem et infernum. Commentum autem de oblatione incruenta cane pejus et angue fugit et abominatur, vocem alienorum non audiens, nec jugum cum infidelibus ferre volens, cum habeat pro se mandatum patris de filio dicentis: „Hunc audite,“³²⁹ cumque certissime cognitum habeat Patres, qui coenae Christi celebrationem vocarunt oblationem, nun-

³²⁵ Vgl. Mt 26,26f.

³²⁶ I Kor 11,24.

³²⁷ I Kor 11,26.

³²⁸ Vgl. Mt 26,26.

³²⁹ Mk 9,7.